# TENTAMEN INAUGURALE

QUÆDAM DE

# IMMODICO VINI ET SPIRITUS ARDENTIS USU

COMPLECTENS.

# TENTAMEN INAUGURALE,

QUÆDAM DE

# IMMODICO VINI ET SPIRITUS ARDENTIS USU

COMPLECTENS;

QUOD,

*ANNUENTE SUMMO NUMINE,*

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

**D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.**

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

*AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET *NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

T. MACCARTHY,

*HIBERNUS.*

---

Boundless intemperance
In nature is a tyranny; it hath been
The untimely emptying of the happy throne,
And fall of many kings. SHAKESPEARE.

---

IV. Nonas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

SPECTATISSIMO ET PRÆCLARO

ANDREÆ DUNCAN SENIORI,

M. D. S. R. & A. SS. ED.

COLL. REG. MED. EDIN. SODALI,

MEDICINÆ THEORETICÆ IN HAC ACADEMIA

PROFESSORI,

*&c. &c.*

VIRO

ARTIS APOLLINARIS PERITISSIMO,

DOCTRINAQUE VARIA IMBUTO,

OB EGREGIAS ANIMI DOTES, ET CORDIS

BENEVOLENTIAM

OMNIBUS PERCARO,

QUEM NULLUS UNQUAM OPEM FRUSTRA ROGAVIT

ÆRUMNIS IMPLICITUS ;

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMO GRATISSIMO,

SUMMAQUE OBSERVANTIA,

SACRAT

AUCTOR.

VIRO GENEROSO,

AMICO SUO PRÆSTANTISSIMO,

# HENRICO P. PALMER,

ARMIGERO,

COL. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

APUD GRENADAM,

ARTEM SUAM SUMMO CUM FRUCTU EXCOLENTI,

HOC CALIMI JUVENILIS TENTAMEN,

VINCULUM ISTIUS AMICITIÆ, QUA NIHIL

ARCTIUS NEC UBERIUS,

SACRUM ESSE VULT

THOMAS MACCARTHY.

*Si, honoris justi amore, amicitia fideli, et indole præclara, sapientium æstimatio bonorumque comparari possit, nullus eadem, quam Tu, dignior est. Si animi liberalitas, ingenii acumen, morumque elegantia, admirationem et observantiam vindicent, nemo illas, Te, amico care, justius meretur. Hoc animi in Te grati ob multa mihi donata, testimonium parvum sed sincerum accipias oro. Diu vivas et valeas, lætus tuis omnibus intersis, serus in cœlum redeas, auræque felices tibi semper afflent, spero, ac imo pectore voveo.—Vale.*

FRATRIBUS MEO DELECTATISSIMO,

J. MACCARTHY,

DE COMITATU LIMERICENSI,

NECNON

D. MACCARTHY,

DE EODEM COMITATU,

VIRTUTIBUS OMNIGENIS,

QUÆ BONOS AMABILESQUE EXORNANT,

PRÆDITIS,

AUCTOR

S. P. D.

*Vobis, Carissimi Fratres, quantas debeo grates, propter curam vere paternam, qua me fovistis, non possum verbis consequi. Munificentia animorum tuorum infinita, solicitudo diuturna indefessaque meo nomine, singulas sententias, quarum potior, teneras, evocant. Quantulecunque hocce opusculum sit, attamen utpote mihi occasionem grates vobis publicas reddendi, ob tot ac tam magna beneficia in me semper libentissime collata, præbet, nunquam obliviscenda, Amici mihi optimi offero.* —*Valete.*

"Though I look old, yet I am strong and lusty;
"For in my youth I never did apply
"Hot and rebellious liquors to my blood;
"Therefore my age is as a lusty winter,
"Frosty but kindly." SHAKESPEARE.

# TENTAMEN INAUGURALE,

QUÆDAM DE

# IMMODICO VINI ET SPIRITUS ARDENTIS USU

COMPLECTENS.

Auctore T. MACCARTHY.

QUONIAM, laurum medicam ambituros, aliquod de re medica conscribere oporteat, legibus Almæ hujus Academiæ obtemperaturus, de effectibus, quos immodicus vini et spiritus ardentis usus corpori humano infert, breviter agere decrevi, præterita omni mentione historiæ naturalis, et dotum chymicarum vini, necnon rerum quarundam noxiarum quibuscum liquores fermentati sæpe inquinantur. Notissimum est enim omnibus, ebrietatem multis et gravissimis morbis originem præbere, quorum nonnulli statim exitium afferunt, dum alii lente

et crudeliter constitutionem subruunt. Summæ equidem ærumnæ hoc diro fonte enascuntur. Veritas harum assertionum rata fit, non solum propagatione morborum, verum etiam tota subversione felicitatis domesticæ, et depravatione omnium facultatum pretiosarum, cum corporis tum mentis.

Non oportet credamus, ab hominibus naturaliter liquores meracos appeti, nam si ætati ineunti et teneræ animum demus, adhuc imperitæ voluptatum, quæ inde oriuntur, sentimus, quamprimum gustaverint, fere respuere; nec aliter res se habet quod ad adultos, priusquam prava consuetudo fastidium natura instillatum vicerit; quam legem optimo concilio Divinus Artifex instituit. Sic consuetudo vim naturæ acquirit, id, quod multæ res aliæ luculenter edocent.

Nonnullæ sunt causæ, quæ homines ad vinum et spiritum ardentem ingurgitanda proclives reddunt. Aliquando ex fallaci opinione, scilicet, vires concoctrices et valetudinem inde confirmari, originem trahit; nonnunquam etiam ex desidia, nutrice plurium malorum, et interitu multarum millium animarum oritur;

amor societatis alia est causa ebrietatis; anxietas et mœror quoque ad eandem ducunt, et facile prætextum tali præter naturam desiderio indulgendi suggerunt; multi nimirum potando curas et ærumnas abigere conantur; postremo, sæpe proficiscitur ex variis negotiis, quæ permultis locum præbent pocula insidiosa pergræcandi.

Bibax autem incitamenta alia habet præter jam enumerata. Cogitur consuetudini assentire, appropinquante enim hora solita haustum magnum sumendi, sentit cupidinem immanem ampullam petere levamini sensuum molestorum, qui illum circa præcordia torquent, et quos pauci, sine magna animi fortitudine, sustentare possunt.

Sic ebriosus quietem pro tempore, per eandem intemperantiam iteratam adipiscitur. Sed hæc auget periculum, quia alcohol istiusmodi est, ut incitatio ab eodem accensa, usu sensim minuatur; itaque ad eundem gradum hilaritatis et quietis obtinendum, potionis modus, ita ut vitari nequeat, augendus est; unde cacoëthes bibendi quotidie invalescit, et paulatim vitiat corpus. Hæc probe confirmantur verbis Gulielmi Heberden sequentibus: "Spiritus, qui voca-

" tur vini, et vinum aqua mixtum, cane pejus " et angue sunt vitanda. Etenim plures co- " gnovi, qui horum usu sensim sese assuefecerunt " liquoribus vinolentis, quibus indies meraciori- " bus sumptis brevi omnino carere non potue- " runt, donec ex sobriis et sanis facti sunt " ebriosi et valetudinarii; tam animorum, quam " corporum debilitate, gravissimas hujus erroris " pœnas luentes." Sic omnia mala ebrietati propria indies in pejus ruunt, et ad summum magnitudinis transeunt, infaustumque hominem, etiam florente ætate, ad sepulchrum præcox nimium festinant.

Hoc in loco aliquod notabo de phænomenis inter bibendum editis. Vinum modice sumptum, in pectore initio gratum excitat sensum, et miram animi tranquillitatem; vires imaginationis magis vividæ fiunt, et facultates omnes mentis accuuntur; vis musculorum multum intenditur; actio cordis et arteriarum ubique incitatur; calor jucundus per totum corpus diffunditur, et secernenda promoventur; mœsti dolores animi sublevantur; et curæ omnes mundanæ deponuntur.

Corpore vino accenso, mens tantum res amœnas et delectabiles secum revolvens, quæsitissimis voluptatibus fruitur. Tunc amator mirans incantamenta, venustatesque amicæ animo fingit, antea prætermissas, et cuique animi motui indulget, qui ardorem cupidini adjicere potest; tunc infirmus, valens, et meticulosus fortis evadit, etiam tristis hypochondriacus, haud secus ac integer lusui operam dat, et, gratis sensibus stimuli vinosi manentibus, tripudit.

Hæc sunt gaudia Bacchi benigna, et felix esset levibus huic deditis, si intra hos limites se contenerent. Sin aliquis plus vini meracioris nunc bibat, facultates ad intellectum pertinentes, in motus violentos suscitantur, et quicquid agit, aut dicat, errores mentis judicantis prodit; quæque indolis macula plane se ostendit; et arcana pectoris aperte revelantur.

Mens exculta, bene erudita, et cui constant omnia, etiam in ebrietate cernitur; nullam patrat contumeliam, nulla jurgia provocat, et aures ab injuriis avertit. Hujusmodi viri, plerumque sub imperio vini, eandem sententiarum elegantiam, et morum urbanitatem, exhibent, ut ubi sobrii. Sed quantum ignarus et indoctus

ab illis distat? in hoc conspicimus naturam habitu ignobilissimo instructam, et amentiam in specie pessima donatam.

Sic inter pocula fœcunda alios spectamus mites, benevolentes, et lenes; dum alios, atroces, iracundos et inexorabiles; nonnulli sunt inimicis comiores, et injuriaram obliti; alii in amicos sunt arrogantes, et ultionis diu sopitæ memores, quo fit, ut diræ et asperæ simultates agitentur, quæ animum ad facinora maxime impia patranda impellunt.

Fines autem sunt huic comissationi, quos ultra nemo fere progredi impune potest, vel saltem haud sine nimio discrimine; vertigo enim nunc et stupor superveniunt; ambulatio est incerta; artus titubantes vix, aut ne vix quidem, corpus sustinere possunt; vox faucibus hæret; facies tumet, et erubescit; huc illuc volvuntur oculi, micant, et ex orbibus exilituri videntur, visusque depravatur:

——— Their feeble tongues,
Unable to take up the cumbrous word,
Lie quite dissolved. Before their maudlin eyes,
Seem dim, and blue, the double tapers dance,
Like the sun wading though the misty sky,
Then sliding soft they drop. THOMSON.

Cum huc usque ventum est, ventriculus nimis oneratus, et maxime stimulatus, nonnunquam nausea et vomitu corripitur ; summa debilitas totam corporis compaginem pervadit, quæ plures horas, imo vero interdum aliquot dies perstat, ita ut homo impotens muneribus solitis fungendi fiat. Sic voluptates vini homines super sphæram naturalem attollunt mortalium, et eos belluis æquando finiunt, nec raro infelix jam ebrius subito absumitur.

Tantum hactenus proximis vini effectibus memoratis, nunc de eo dicam, quod attinet ad morbos producendos ; diu etenim fere omnibus liquet, crebram ebrietatem, nonnullorum maxime lugubrium morborum, quibus genus humanum patet, fundamentum jacere.

Inter hos Apoplexia imprimis nobis considerantibus se offert. Cerebrum, organum primarium sensus et motus, serius ocyusve vino et spiritu ardente afficitur, vel directo nexu nervoso, vel oblique per systema sanguiferum ; prout liquor sit dilutior, aut saturior, aut pro copia accepta. Mortes subitæ quas toties inter bibendum contingisse audivimus, satis certo testantur apóplexiam ab hoc statu induci ; et haud ab-

simile est mortem, quoties ebrietati accedit, fere semper huic morbo deberi. Apoplexia vero temulenta non semper in mortem subitam desinit, sed post horas paucas plerumque evanescit; nimis sæpe autem repetita, mobilitatem generis nervosi delendo, et vasa sanguinea debilitando, congestioni locum facessit; hinc apoplexia, simul omni exitio impendente, perpetuo timenda est, vel si tantum congestio levior acciderit, paralysis in una alterave specie exitus esse potest, et sic vita ægro infelici oneri redditur.

Cum huc usque res redactæ sunt, miser ebriosus, cursum dissipationis prope perfecit; et solummodo, quasi triste monumentum prioris perversæ rationis vivendi, spirat, cujus vix aliquis misereri oportet, quippe qui sibi ipsi suas ærumnas intulit. Hujusmodi miserandi, generi humano maxime infesti, a suis ejecti, indies se offerunt, quocunque in plateis oculos vertamus, et isti, etiam in hoc pravitatis statu, ad cyathos scatentes, valetudinis incuriosi, atque in futurum consulendi socortes, cupidissime confugiunt.

Epilepsia deinde attentionem sibi vindicat; haud raro ortum ducit ex iisdem causis, quæ

apoplexiam et paralysin pariunt, et quæ simile modo agunt; quamobrem de illa non verbis opus est hic, utpote quicquid de apoplexia dictum fuerit, eidem pariter convenit.

Mania, aut quædam alia insaniæ species, non raro est sequela ebrietatis, præsertim ubi proclivitas ad hæc mala corpori inest. Secundum cel. Culleni opinionem, proxima insaniæ causa ex quadam inæquali vis cerebri distributione pendet*; quod verisimile est, cum variæ mutationes morbidæ ex sectionibus insanorum compertæ sunt, auctoritati subtilissimi Morgagni innitentibus†. Quomodocunque autem res se habeat, satis certo cognitum est, structuram cerebri frequente ebrietate mutationem quandam subire; at qua ratione hoc efficitur, Natura adhuc sacro, uti pleraque alia, involucro texit.

Palpitatio cordis et syncope sunt fontes ebrioso magni cruciatus; ex irritabilitate nervosa, per vinolentiam inducta, oriri videntur. Sed

---

* Cullen's First Lines, &c.

† Morgagni de Sed. &c. Lib. i. Epist ii. Art. 22. Epist. iii. Art. 6.–16.

effectus interdum quoque sunt vitiorum organicorum cordis, vel partium ei adnexarum, quæ eandem causam sæpe agnoscunt. Hoc a MORGAGNI satis comprobatur ex sectis hominum cadaveribus, qui temulentiæ obnoxii fuerunt *. His malis subditi, angores mortis ipsius prænunciis similes omni hora pati videntur.

Propter nexum, qui inter omnes et varias corporis partes intercedit, et forsan ob proprias circumeuntis sanguinis determinationes, diversæ cutis affectiones, consuetudine adbibendi frequentissime eduntur, quæ spectacula turpissima præstant.

Oculos etiam vinolentia malis implicat, scilicet, inflammatione, quæ crebro maculis, caligine, et amaurosi finitur.

Nunc mihi est in animo, effectus vini ventriculo et visceribus vicinis strictim agere.

Cum ventriculus organum est delicatissimum, nil mirum est, ut ab imgurgitandis liquoribus spirituosis perturbetur. Summum ejus momentum in œconomia animali, necessitudinem sanæ actionis amplissime probat, et brevi ebriosum

---

* MORGAGNI de Sed. Lib. ii. Epist. xxvi. 13.–37. Epist. xxviii.

certiorem facit, se normas peccavisse, quas natura providens sapienter designat. Dyspepsia profecto cum longa sua cohorte notarum tristissimarum procul dubio citius seriusve bibacem invadit. Quamvis hoc fere ab omnibus cognoscitur, tamen nonnulli autumant, tres quatuorve cyathos meri, vel pauxillum spiritus ardentis, ad cibi concoctionem promovendam multum operæ conferre. Hæc autem sententiæ plurimum objicitur, et, me judice, nullis documentis claris sustentari potest. Credo revera illam potissimum inter eos morari, qui eorum commodum fingere malunt, ne jucundo stimulo spoliantur; quia genus humanum, semper oblectationis avidissimum, invite mala recenset, quæ præsens propago suorum luxuum sunt. Porro experimentum a BEDDOES institutum *, satis certo demonstrat, vinum, ventriculo sano, non solum cibi concoctioni non auxiliari, verum etiam magnopere obviam ire. CULLENIUS opinatur, causam proximam dyspepsiæ esse imbecillitatem fibrarum ventriculi motricium †; verisimile est etiam succum gastricum mutationes

* BEDDOES' Hygeia. † First Lines.

quasdam subire, quod ad quantitatem et dotes. Nihil certius has, quam usus vini immodicus, facit; quo fit, ut ebriosi jugiter nausea, vomitu, anorexia, inflatione, et cardialgia laborent, cum omnibus indiciis comitantibus concoctionis vitiatæ. Quilibet cibus in ventriculum receptus fere fastiditur, vel cito in fermentationem acetosam abit; eodem tempore, frequens ructus, sensus ardoris ventriculi, tormina, modo alvi fluxus, modo tarditas, miseros torquent. Nec nox tacita inducias eorum molestiarum largitur, nam quiete placida perraro fruuntur, et insomniis terrificis plerumque vexantur; sic parum refecti et inhabiles muneribus vitæ obeundis, singulis auroris resurgunt, nunc ad ærumnas mitigandas, et corporis robur nancissendum, stimulo assueto confugiunt, qui demum ex diuturna consuetudine, solitam jucunditatem dare, aut pigritiam excutere, non amplius valet. Jam jamque animi facultates penitus collabuntur, et potestas sentiendi ejus obtunditur, corpus fit aptius ad impressiones externas suscipiendum, officia vitalia labefactantur, summa macies evenit, spes intra pectus extinguitur, et etiam vita ipsa vix sane exoptanda esse videtur. Mors sola vi miseriis finem imponendi pollet.

Cadaveribus incisis spiritui ardenti dedito-rum, ventriculus quam maxime vitiosus inven-tus est. MORGAGNI ventriculum vinolenti se de-texisse narrat gangrænosum, et mole haud pa-rum ampliatum *. BAILIEUS duodenum, tu-more scirrhoides correptum, et ulcere fœtido, ab eadem ut videtur causa, reperit †. Fabrica etiam duodeni morbida ad ductum communem choledocum a Doctore SAUNDERS indigata est, quod his verbis refert. "In the dissection of "those who have been intemperate dram-drink-"ers," dicit SAUNDERS, "the diseased struc-"ture may be traced from the stomach along "the course of the ductus communis; and I "have frequently seen these ducts so contract-"ed and thickened, that they could not trans-"mit bile ‡." Ratio igitur icteri, qui tam sæ-pe in ebriosis apparet, in aprico erit.

Ob intemperantiam vini, jecur morbi sæpe-numero sedes est. Hepatitis, tum acuta, tum

---

* MORG. de Sed. &c. lib. i. Epist. xxiv. Art. 35.

† BAILIE's Morbid Anatomy.

‡ SAUNDERS' Treatise on the Liver.

chronica, ab ea frequenter originem trahit, sed hæc sæpius ab hoc fonte nascitur; impetum sanguinis per hoc viscus, et idcirco secretionem bilis, augendo agere videtur, quæ simul redditur acrior, et inde inflammationem chronicam, et fortasse scirrhum gignit. Quæcunque vero ratio operandi sit, neminem latet, ebrietatem creberrimam hepatitidis longæ causam esse, et proprie jecinori præ omnibus aliis visceribus, nocere; ex quo factum est, quod viri, cum liquoribus lautis magis dediti sunt, vitiis hujus organi frequentius affligantur, quam mulieres. Signa morbi, de quo agitur, scilicet hepatitidis chronicæ, quæsitiora sunt, cibi fastidium et cæteræ dyspepsiæ notæ, alvus adstricta, macies, cutis et oculorum flavedo, atque dolor obtusus in hypochondrii dextri regione, ad summum humeri tendens, una cum aliqua hepatis amplificatione; hæc tamen mala aliquando tam lenia sunt, ut parum observentur; nihilominus jecori patefacto subesse abscessus comperti sunt, qui, vita perstante, paulum aut nil incommodi facesserunt.

Hepatitis acuta rarius a vinolentia in his regionibus enascitur, quam in tropicis, quod ad

stimulum adjunctum a colore corpori impertitum referatur oportet.

Lien et pancreas nequaquam ab hac intemperantia integritate perfruuntur, et propter molem auctam, ductum premendo communem, aliquando icterum inducunt. Hoc est unum indiciorum certissimorum, quæ produnt bibacem, et digressiones ex præceptis naturæ simplicibus commonstrat.

Hydrops insanabilis inter cultores Bacchi non occasio est insueta, et perquam sæpe fit mortis prænuncius. Plerumque in istis ex vitio hepatis oritur, quod circuitum sanguinis liberum per hoc organum impediendo, eundem majore copia in venis portarum et ramulis plurimis efficit; hinc major fit renixus sanguini ex arteriis propinquis in venas fluenti, et ideo præter naturam incrementum exhalationis solitæ sequitur, a quo, illa hydropis species, quæ Ascites vocatur, infertur.

Moles jecinoris aucta non raro esse hydrothoracis causa videtur, actionem liberam pulmonis prohibendo, et eo modo motui sanguinis in venas pulmonales obstando, unde arteriæ plus æquo laticis exhalant, ut immutabiliter fit,

quandocunque iter per venas in aliqua corporis parte interpellatur.

Verisimile est etiam, debilitatem universalem, quæ in corporibus ebrietate exinanitis invalet, nonnihil operæ conferre posse ad hydropes gignendas, vasa exhalantia et lymphatica afficiendo. Sed ab hac causa debilitas, hydropem per se, scilicet nullis existentibus organorum vitiis, edit, necne, habeo non dicere.

Quamvis rationem podagræ, ad postremum in ordine morborum, ex abusu vini nascentium, retuli, non tamen sequela eo minus frequens hujus intemperantiæ est.

Podagra toties divitias, ignaviam, et luxum comitatur, ut in omni ævo proles Bacchi et Veneris appellata sit, et vere equidem, nam raro nunquamve in domiciliis paupertatis conspicitur, vel inter eos qui duro labore victum sibi quærere coercentur.

Podagra est morbus hæreditarius, scilicet, cui indoles corporis propria natura instillata favet; quæ tamen non nisi quibusdam causis excitantibus illatis accendi solet. Perraro, uti existimo, hac proclivitate jam dicta deficiente, eandem progignere valent. Etiamsi vero proclivitas

hæreditaria multum valeat, et podagræ accessiones plurimæ torserint, frequenter tamen temperantia austera, et regimine proprio, feliciter ei obstatur. Non desunt exempla talia. Præterea GREGORIUS noster præclarus, inter prælegendum, quibusdam hoc morbo laborantibus, se mederi refert, exercitatione regulari, et victu idoneo imperatis.

Quod ad proximam podagræ causam attinet, variæ opiniones inter se diversæ accipiuntur, quæ tantum arguunt quam præcipiti cursu mens humana ad rationes inanes confingendas impellatur, quæ multo sæpius arti salutiferæ obstiterunt quam opitulatæ sunt.

Aliquatenus notatu dignum est, quantum iste morbus sævissimus apud hodiernos affectetur. Bene multi unumquodque leve valetudinis adversæ genus, qua laborant, inepte aggredienti, podagræ tribuunt, dum alii revera moliuntur renovare. Tanto honore equidem tunc temporis hic morbus est apud Britannos, ut "plus operæ "ad gignendum, vel excitandum eum, quam ad "sanandum, et penitus fugandum."

Ebrietas quoque inter causas febris excitantes collocatur; verum enimvero verisimilius est, eam agere, debilitatem eam pariendo, quæ aut viro pestilenti, aut miasmiti accipiendo, corpus aptat.

Hi sunt morbi præcipui vinolentia exorti, qui sæpissime se offere medico, summamque attentionem postulare videntur; quanquam minime difficile esset haud paucos alios numerare.

Nunc hanc dissertationem, animadvertendo, conficiam, ut si usus vini prorsus deponeretur nisi ad morbos curandos, vel ætatem ingravescentem solandam *, multum detrimenti deesset; homines enim a cunctis malis, ex scaturigine, de qua sermo fuit, affluentibus, versarentur immunes, et mente sana in corpore sano gauderent. Tunc breve et irreparabile vitæ spatium, longe salubrius et gratius degeretur. Denique

---

* "We curse not wine, the vile excess we blame."

ARMSTRONG.

si ita res se haberent, non minoribus licuerit, ineptiam pervicacem et impietatem lugere majorum. Hinc verba Gregorii edocti in Conspectu suo, " ut sanus sanam prolem, sic morbosus morbosam gignit."

FINIS.